



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

V. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

in Marco supposititum est, quia in Mattheo non est scriptum.

§. 2. Obicit Origenes: Rem eandem iterari sine causa. Responso facilis. In his, *dilige proximum sicut te ipsum*, contineri præcedentia, nec otiose tamen hoc addi, sed exegetice. Nam adhuc alia nonnulla addi poterant, quæ omnia continet hoc diligendi præceptum, perinde enim est ac si Dominus dicat. *Non occides, &c.* Et vno verbo, *diliges proximum sicut te ipsum*, at vero si hoc præceptum seruet iam nihil dee t illi, Dominus vero aliquid deesse vnum illi affirmat apud Marcum 10. 21. *Et vni vnum tibi deest.* Vnde est deficiere, lassari, ut illi qui à tergo relinquuntur, & non perueniunt ad scopum, aut nimis tarde veniunt. Occurrit Origeni Beza; Non intellexisse Origenem, quia de re ageretur. Non enim iuuenem vere respondisse, & hunc latentem morbum, quod proximum non diligeret Christum detexisse. Verum Beza aut non intelligit, aut sciens volens sensum peruerit. Christus enim mandata profert, deinde eorum summam, nempe dilectionem. Cui adolescens responderet, se etiam seruasse, ut proximum diligeret sicut se ipsum, eo nempe modo quo solet in hac vita fieri. Hæc tamen professum intuitus Iesus dilexit. Quid igitur deerat ad perfectionem? Respondeo consilii diuini, non præcepti executio, ut omnia venderet, Christum sequeretur. Friuolum vero est quod oggerit Beza; Christum non venisse ut nouam legem conderet, sed potius nos à legis maledictione liberaret. Quasi vero non & nouam condere legem, & à legis conditæ maledictione nos liberare potuerit. Condidit sane leges sacramentorum aliasque, & à maledictione legum nos liberauit, non ut committentibus in legem impunia sint scelera, ut dando gratiam qua lex obseruatur.

VERSVS 20.

Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiri à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?

QUESTIO I.

An seruauit adolescens mandata?

§. 1. **N**on est mentitus. Non enim eum Christus reprehendit, sed ad maiorem hortatur perfectionem. Imo, ut ait Marcus, dilexit eum: mentientem autem non diligeret. Notarunt hoc non modo Catholici, sed ex Hæreticis Musculus, qui mentitum prorsus negat, quia Marci 10. Christus eum intuitus amauit. Nec obstant diuitiæ, nam Abraham, Isaac, David, Iosaphat, Iosias diuites fuere, nec diuitiæ sunt signa auaritiæ, sed diuinæ largitatis, licet magni auctores eum eius vitii arcestant.

§. 2. Bullingerus arrogantem fuisse fingit. Caluinus legem illi mortuam fuisse, stulta fiducia ebrium fuisse, Christum auaritiæ eius morbum detegere. Bullingerus, de operibus ira loquitur, ut videatur Catholicus, sed postea in aliam hæresin incidit, quæ est multorum in Hollandia. *Habes in hisce pauculis verbis quid boni facies, & qua pateat ad celos via.* Et paulo post: *certissima enim via ad vitam est seruare mandata.* Discretem enim & infallibile verbum Dei est, si via ad vitam ingredi, seruare mandata. Deinde docet non pugnare hoc cum doctrina de iustificatione, quæ per fidem est, sed tandem infert, eum seruare mandata, qui per fidem credit se saluari. Vnde iam planum sit, inquit, & indubitatum, si dem in Dominum nostrum Iesum Christum esse obseruationem legis.

Quando per fidem illud facimus, propter quod lex instituta est. Nihil à mente Christi alienius dici potuit. Sensus enim esset, seruare mandata, non occides, non furaberis, &c. Hoc est, crede te saluum fore, & propter Christum tibi peccatum non imputari, inde consequeris, ut dicaris seruasse mandata, etsi occidas, fureris, mœcheis, tantum crede. Quod si mores inducantur, Christianorum vitæ omnium Ethnicorum conuersatione deteriores euadere necesse est. Quid enim reliqui illi fuerit, qui sola fiducia securus, seruare se omnia præcepta iudicet, modo credat saluum se fore, at vero Christus non hoc monet, ut credat se fore saluum, & sic eum omnia seruaturum præcepta, sed vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Quæro enim an hoc præceptum implet adolescens, non faciendo, sed credendo, præceptum enim fuisse contendunt sectarii, si hoc fiduciam poterat implere, nil opus erat, ut tristis abiret, sed retentis opibus, credenda erat salus, & prædestinatio, si illud faciendo implendum erat, non credendo duntaxat, non igitur nec cetera credendo implentur. Ideoque nec fides est omnium mandatorum obseruatio. Habet ista Bullingerus ex Zwinglio, qui improprium locutionem esse, ait. Nam obseruatio mandatorum, inquit, non est propria causa salutis. Deinde pergit. *Quis enim mandata Dei seruet? Qui eum timet & amat, quis vero eum timet & colit? qui credit.* Quis credit: qui electus est. Non equidem negandum vitam æternam ex electione esse, sed plures sunt eius rei causæ. Dominus mandatorum obseruationi tribuit vitam æternam, nec tamen Dei electionem, nec Christi meritum, nec sacramentorum efficaciam, nec fidem excludit. Ut vero electos cognoscat, quantum dissideant veteres Martyres & Hæretici: adferam S. Cypriani hunc in locum expositionem. *Immortalitatem autem petiri quomodo possumus nisi ea quibus mors expugnatur & vincitur Christi mandata seruemus? ipso monente & dicente: Si vis ad vitam venire, seruare mandata.* Et iterum: *Si feceritis quæ mando vobis, iam non dicam vos seruos sed amicos.* Hos denique fortis dicit & stabiles, hos super petram robustam mole fundatos; hos contra omnes tempestates & turbines seculi, immobili & incutussa firmitate solidatos. Qui audit, inquit, verbum & facit ea, similibo eum viro sapienti, qui adificauit domum suam supra petram. Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti & impegnerunt in domum illam & non cecidit, fundata enim fuit super petram. Verbis igitur eius insisteret, quæcumque & docuit & fecit, discere & facere debemus. Ceterum credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit quod Christus facere precepit? aut vnde perueniet ad premium fidei, qui fidem non vult seruare mandati? Nunc necesse est & vageur, & spiritui erroris arreptus, velut pulvis quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiat ad salutem, qui salutaris via non tenet veritatem.

QUESTIO II.

An consilium sit omnia vendere, an præceptum?

§. 1. **C**onsilium est; sub conditione enim perfectæ conditionis proponitur, non absolute ad vitam æternam consequendam necessarium, ad particulare enim factum Christus hortatur, non ad aliquod, quod omnibus sit necessarium. Augustinus. *Sermo 16.* de tempore. Bullingerus à Domino præceptum adolefcenti dicit, ut venditis omnibus se sequatur. Caluinus sibi quidem repugnat, alios vero calumniatur. Repugnat dum faretur, nusquam in lege scriptum esse, ut omnia vendamus, imo negat agricola id licere, melius se alere parçè, & partem dare pauperibus, quam

quæ omnia dilapidare. Iuuenem tamen longe à le-
gis oblatione fuisse dicit affixum diuitiis, concu-
piscen-^{ti}am flagrasse, cum in otio & umbra vixisse, nun-
quam vel minimo gustu concepisse, quid esset vete-
rum hominem crucifigere, & domare carnis cupidita-
tes. Quomodo talem igitur amare dominus po-
tuit, hominem tam scelestum qui nullam cupidita-
tem, non avaritiam, non cupiditatem, non libidines
non superbiam vnquam domuit? si enim non do-
muit obsecutus est, quomodo igitur talis se iustum su-
spicari potuit? aut quomodo vnus illi defuit ad per-
fectionem, & hoc vnus non lege sancitum, sed consi-
lio oblatum? si nihil illi ad humum nequitiam de-
fuit. Denique Caluinus vers. 22. Illud quod Chri-
stus iussit vendere omnia, non fuisse additamentum
ad legem, sed probationem latentis vitii, in lege non
tenebatur vendere, non erat vitiosum tenere velle,
quod nec Christus vendere iussit. Calumniatur Mo-
nachos: ac illos Christus defendit, nam vendiderunt
omnia, & pauperibus dederunt. Quibus domi pa-
rum fuit, omnia deseruerunt, cum facultatem & spem
plura acquirendi sibi præciderunt. Non defuit tam-
en qui luculenta patrimonialia, atque principatus &
regna deseruerunt. Talem Christus instruit, ablata
pecuniam & commodorum suorum contemptorem,
& ne onerosum sit præmia proponant. Eleganter
Chrysostomus, Perspicis quot brauia, quot coronas huic
statu proponit? si autem ille tentasset, hac ei non diceren-
tur: nunc vero & hac illi manifestantur, & vt alliciatur in-
gentem ei mercedem futuram ostendit, & voluntati eius vn-
uerse acquiescit. Ita his omnibus ne onerosa videretur admo-
nitio, iactare sudebat; ac ideo antequam certaminis laborem
ostenderet, brauium præ oculis posuit dicens: si vis perfectus
esse, vende omnia quæ habes & da pauperibus: & mox iterum præmia inculcat: Et habebis thesaurum in cæ-
lo, & veni sequere me. Non enim parua retributio est, dili-
genter Dominum sequi. Et habebis, inquit, thesaurum in
cælo. Nam quoniam magna illi cura de pecuniis erat, &
quandocumque ipsum cunctis denudari rebus consuebat vt o-
stendat non amissurum bona sua, sed tanto plura, maioraque
inuenturum, quantum terra celo prestatibilis est, retributio
tunc præstantiam thesaurum appellatur, & simul stabilita-
tem atque incorruptibilitatem præmiis, vt fieri poterat huma-
no verbo signanter expressit. Non ergo satis est pecuniam sper-
nare, rem etiam oportet pauperibus opem ferre, & ante om-
nia ipsum Christum sequi diligenter: id est, omnia reipsa
proferre, quæ ad ipso iubentur, paratunque semper esse statim
labore subire, quam omne genus mortis sufferre.

VERSUS 21.

At illi Iesus: Si vis perfectus esse,
vade vende quæ habes, & da pau-
peribus, & habebis thesaurum in
cælo: & veni, sequere me.

QUESTIO I.

An perfectionis sit vendere omnia, & sequi
Christum?

§. 1. Christus expresse dicit: Si vis perfectus esse
vade, ita vt nihil desit, vende quæ sunt tibi, & da pauperibus, & habebis
thesaurum in cælis. Perfectum itaque hoc loco est,
cui nihil desit, ita Syrus ^{ܡܬܬܡܐ} gemim, quod est re-
surgere, & hinc vocant holocaustum ^{ܡܬܬܡܐ} gemir, quod
perfecte totum Deo offeratur. Beza è contrario ver-
ba Christi non declarare, in quo per se vita æterna
constat, cum hac vocatio non sit vniuersalis; sed

huc spectare, vt istum falsam iustitiam spe deceptum re-
dargnat. Glossam Bezae textus refutat. Voluit Chri-
stus docere adolescentem quid deesset; amabat enim
eum, nec hypocrisis arguit, sed quod verum est, e-
nunciat, si vendat & det pauperibus, habiturum in
cælis thesaurum.

§. 2. Pauperes de Lugduno, etiam præceptum ge-
nerale Christi exhortationem continere tradebant,
ideo neminem nisi pauperem saluari non posse, qua
quidem in re grauiter errant, non enim lex vlla hoc
præcipit, sed perfectio hortatur; & cum obseruata le-
ge perfectum & consummatum vellet ostendere: Si
vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da e-
genis, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me.
In quo thesauri positus est vta æterna abundantior,
quia, qui se omnibus spoliatur propter Christum, ho-
noratior erit cum eo in gloria. Quæ modum post
victoriam omnium communis est læticia, quorun-
dam tamen, quorum opera præcipue euenit, maior
est gloria, præmia, & donatiua singularia. Hortatur
igitur illum ad id, quod perfectum est, de quo huc, se-
quere me.

§. 3. Nec Abraham, nec multi viri sancti, hodie id
faciunt. Et perfecti tamen sunt. Respondendum est:
Multos charitate ardentissima perfectos esse, qui ta-
men ad aliquam particularem perfectionem non sunt
obligati, alii ad statum perfectionis sese obligarunt,
nec tamen tam insigni caritate sunt præditi, ideo im-
perfectiores, qui autem utroque pollent genere per-
fectionis, sine dubio excellunt. Vide D. Thomam ^{2. 2. q. 184. a. 4.} Multi diui-
tes perfecti.

2. 2. q. 184. a. 4. Vno modo Abraham perfectus fuit,
nam quanta Deum caritate diligeret, filium offeren-
do demonstravit. Quoniam omnia etiam deferere para-
tus erat, qui filium immolare voluit. Nec parum as-
timandum, quod egressus de cognatione, & domo pa-
tris, suis se rebus fere abdicauit.

§. 4. Non consistit tamen omnis perfectio in eo,
vt omnia vendant, aut abiciant, vt Crates fecit: sed
oportet Christum imitari. Augustinus lib. 50. homi-
liarum. homilia 35. cap. 8. & c. 9. perfectum non fuisse
se quæqueretur ad passionem, tertium enim voce
ancillæ negasse.

§. 5. Abit, non quia mendacii conuictus, sed quia
opes amabat, ^{ܠܘܡܬܝܬܐ} & vero abit, cum afflictione &
angore; Syrus agre tulisse affirmat, mortis affe-
ctum, quæ aliquam traheret indignationem. Non ta-
men ideo contra aliquam Dei legem peccauit, cum
nulla iuberet omnia vendere.

VERSUS 23. 24. 25. 26.

Iesus autem dixit discipulis suis: A-
men dico vobis, quia diues difficile
intrabit in regnum cælorum. Et
iterum dico vobis: Facilius est ca-
melum per foramen acus transire,
quam diuitem intrare in regnum
cælorum. Auditis autem his disci-
puli mirabantur valde, dicentes:
Quis ergo poterit saluus esse? Aspi-
ciens autem Iesus dixit illis: A-
pud homines hoc impossibile est: a-
pud Deum autem omnia posibilia
sunt.

QUESTIO